



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De redemptione illius anni, quem in pane & aqua ieiunare debet. xii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illis qui ieiunare & adimplere non possunt, quod
in pœnitentiâ scriptum est. Cap. XI.

Ex eodẽ. **Q**VI ieiunare potest, & implere quod in pœnitentiâ
li scriptũ est, bonum est, & Deo gratias referat. Qui
autem non potest, per misericordiam Dei con-
siliũ damus tale, vt nec sibi, nec alicui necesse sit, nec de-
sperare, nec perire.

De redemptione illius anni, quem in pane & aqua
ieiunare debet. Cap. XII.

Ex eodẽ. **P**RO vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, L
Psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, deci-
tet: sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & vnum
pauperem pascat, & eo die excepto vino, carne, & sagi-
mine, sumat quicquid velit.

Alio modo. Cap. XIII.

Ex eodẽ. **S**I autem talis est, quod tãdiu in genibus iacere nõ pos-
sit, faciat autem sic: infra Ecclesiam, si fieri potest, sin
autem, in vno loco stando intentẽ, LXX. psalmos per ordi-
nem decãtet, & pauperem pascat, & eo die excepto vino,
carne, & sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo. Cap. XIII.

Ex eodẽ. **Q**VI in Ecclesia genua centies flexerit, id est, si cen-
ties veniã petierit, si fieri potest, vt in Ecclesia fiat,
hoc iustissimum est. Si autẽ hoc fieri non potest,
secretẽ in loco conuenienti eadem faciat, si sic fecerit,
die excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placeat.

Item alio modo. Cap. XV.

Ex eodẽ. **Q**VI Psalmos non nouit, vnum diem quem in pane
& aqua pœnitere debet, diues, tribus denariis, & pau-
per vno denario redimat, & eo die excepto vino, carne,
& sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo. Cap. XVI.

Ex eodẽ. **P**RO vno die, quem in pane & aqua pœnitere debet,
tres pauperes pascat. Et eo die excepto vino, carne,
& sagimine, sumat quod placeat.

Item alio modo. Cap. XVII.

Ex eodẽ. **Q**uidam dicunt XX palmas valere pro vno die.